UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt XXVII. Materia Gavdii, Conivgii Molestiis, & oneribus non implicari, & castitatis facilitate, iucunditate, honestate, atq[ue] optimis fructibus delectari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

pum, terribili apud reges terræ. Voti sane violatio irrepens aduersus Deum, eius non vulgarem contemptum habet, sicut & despicatui iudicatur habere hominem, qui datam illi frangit fidem. Etenim *qui seipsum Deo semel deuouit*, ait *S. Basil. quæstione vel regula 14. fusius explicata, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiuerit, sacrilegio scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit.* Quod & inculcat serm. 1. de institutionib. Monachor.

CAPVT XXVII.

MATERIA GAVDII, CONIVGII MOLESTIIS, & oneribus non implicari, & castitatis facilitate, iucunditate, honestate, atq; optimis fructibus delectari.

§. NEQVE dolenter, sed lætè ferant, quod matrimonii nexibus se implicare nequeant. Namque ait *Dominus Luc. 9. v. 62. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Causam verò gaudendi à *S. Augustin. epist. 45. ad Armentarium & Paulinam* accipiant, vbi ita loquitur: *Priusquam esses voti reus liberum fuit quo esses inferior: quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero, qua tenetur apud DEVM sponsio tua non te ad magnam instituit inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses non peior. Modo autem tantum quo absit, miserior, si fidem DEO frēgeris, quanto beatior, si soluēris. Nec ideo te vouisse pœniteat, imo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui tua tua expetit. Fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. Et vera*

vero ea est castitatis facilitas, iucunditas, vtilitas, pulchritudo & dignitas, vt ea consideranti mirificos sui amores excitet. Et quidem facilitatem ostendit ingens castissimè viuentium multitudo. Mox ab Ecclesiæ incunabulis vidit S. Ioannes Apocal. 14. *versiculo* 1. & 4. *cum Christo Agno centum quadraginta quatuor millia stantes supra montem Syon, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Et subdit: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* S. Ambros. lib. 3. de Virginibus. *Si quis,* inquit, *consecratione virginum minui genus humanum consideret, quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi quoq; numerū hominum esse maiorē. Discite, quātas Alexandrina, totiusq; Orientis & Africana Ecclesia, quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines cōsecrantur.* S. Augustinum castitatis difficultates metuentem, ac proinde deliberātem, ac cunctabundum ipsa castimonia frequenti, & ingenti pudicissimorum vtriusque sexus hominum cœtu non sine suaui derisione ad se pellexit. Hunc enim in modum ille scribit *lib. 8. Confess. cap. 11. Aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi dicerent: Tu non poteris quod isti & istæ? At vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in* DOMINO DEO *suo? DOMINVS* DEVS *eorum me dedit eis. Quid in te stas & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te & saluabit te.* Eandem facilitatem indicauit Dominus cum castitatis religione & voto

Castitas facilis & expedita.

voto sacratos Eunuchorum nomine designauit Mæ. 19. Quam enim faciliter Eunuchi ab eo abstinent, cuius facultatem non habent, atque idcirco neq; vllam suscipere cogitationem debent, tam facile perpetua voluntate continentes; quia quod in illis natura hoc in istis, multo potentius efficit gratia, qua confortante omnia possunt, Philip. 4. & faciliter possunt.

Iucundissima & suauissima castitas.

§. Quanta etiam iucunditas est, non esse in potestate alterius, sed liberum, non alligatum esse vxori, sed ab ea solutum, tribulatione carnis carere, qua vexantur coniuges, cum tamen & ipsis viuendum, tanquam coniugij expertes, *non sollicitum esse, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & in innumerabiles curas dandi, & dissecari, sed sollicitum esse, quæ Domini sunt, quomodo Deo placeat, illique gratum officium præstet.* Quæ omnia docet Apostolus, 1. Cor. 7. v. 4. 26. 27. 28. 30. 32. 33. 34. Ex quo mutuatus est illud dictum *S. Hier. l. 1. in Iouin. c. Quanta*, inquit, *felicitas est non vxoris seruum esse, sed Christi, non carni seruire, sed spiritui? qui enim adhæret Deo, vnus spiritus est, 1. Cor. 6.* Ad spiritalem diuinorum bonorum cœnam inuitatus impossibilem sibi accessum iudicauit, idcirco quod vxorem duxisset, Luc. 14.

Honestissima castitas.

§. Castitatis præterea & honestas & dignitas est, quam vix mente complecti possumus. Ipsa facit, *vt possideamus corpus nostrum in sanctificatione & honore, 1. Thes. 4. Quid*, inquit, *S. Bern. epist. 42. ad Henricum Senonens. Archiepisc. castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat* S. Cyrill. Jeros. Catechesi 12. illuminatorum. *Non ignoremus castitatis gloriam: angelica enim est corona, & super hominem hæc perfectio; parcamus corporibus, quæ lucem debent*

debent sicut sol. Ne propter paruam voluptatem tantum ac tale corpus polluamus. Paruum enim est ad horam peccatum, langœua autẽ est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terra sunt castitatis operatores. Beatus Ambrosius libro 1. de Virginib. Neque mirum, ait, si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Castitas enim angelos fecit. Qui eam seruauit, angelus est: qui perdidit diabolus. Augustius est, quod de hac virtute prædicat Sanctus Basilius libro de Virginitate. Magnum re vera quiddam, ait, ac præclarum virginitas est, quæ, vt totum simul explicem, hominem incorruptibili DEO simillimum facit. Hæc autem profecto non à corporibus ad animas manat, sed cum incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta seruantur. Et quia castitas hominem Deo simillimum reddit, facit & carissimum, quia morum similitudo amorem conciliat & conglutinat: qua caritate Deo intimè cohæret: Deus enim charitas est, qui manet in caritate, in Deo manet, & caritas Deus in eo, 1. Ioan. 4. Sic ergo, vt ait Salom. Sap. 6. v. 20. Incorruptio facit proximum esse Deo, qua vna re quid sanctius, quid honorificentius, quid amabilius, quid honestius? Ideo plus amat virgines Christus, inquit sanctus Hieron. l. 1. in Iouin. quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maioris que gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere, quod exigaris. Ioan. vnus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, & quẽ fides Christi virginẽ reperierat, virgo permansit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit supra pectus Iesu. Ioan. 21. v. 20. Quis. Joan. propter corporis, mentisque puritatem eximiam expertus Christi Domini familiaritatem, de pudicis & castis affirmat Apoc. 14. Hi sequuntur Agnum quocunq; ierit Hanc castimoniæ venustatem, decentiam & maiestatem, cõtemplans & admirans, exclamat Salom Sap 4. O quam pulchra est casta generatio cũ caritate, immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines. Et Ecclesiastic. inæstimabilem huius virtutis docet esse præ-

præstantiam. c.26.v.20. *Omnis*, inquit, *ponderatio non est digna continentis animæ.* Christus Dominus Deus noster Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. hanc confirmat coelestem esse, angelicam, filiorum Dei, & beatarum mentium vitam. Apostol 1.Corint.7.ait se suadere virginitatem & continentiam, non vt laqueum injciat, aut continendi necessitatem iis, qui eam nondum vouerunt consecrarunt, imponat, sed vt hortetur *ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Optimorũ fructuum ferax castitas, & primum quod corporis cõseruet sanitatem.

§. Neq; in hac virtute sterilitas, sed maxima virtutum, bonorum operum, spiritaliũ filiorum in Christo generatorum, cælestium donorum & præmiorum fecunditas, vt merito dixerit Apost. 1.Cor.7. se ad vtilitatem nostram suadere virginitatẽ. Quemadmodum bibidinum intẽperantia debilitat, eneruat, & corpus consumit, sic cõtra ipsam valetudinẽ & vires cõseruat, augetq; continentia. Docet hoc Medicorũ Schola, & confirmat docuit experientia magistra longè certissima, quapropter animalia salacia vt equi, sues, passeres, columbæ, perdices diu vitam tueri ac propagare nequeunt.

Castitas laudabilis famæ conciliatrix & cõseruatrix

§. Est & eadem à fœda voluptate temperantia præclaræ existimationis conciliatrix: vt enim incontinentes audiunt pessimè, ita optimè continentes, vt enim Salomonem ignominia propter incontinentiam notat Scriptura *Eccl.47.v.21.22. Incurvasti*, ait, *genua tua mulierib. dedisti maculam in gloria tua*, ita & continẽtiæ ergo S. Judith. meritis exornat laudibus. *Benedixerunt ampli* c.15.v.10. *eam omnes vna voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Optime S. Cypr. *in libello de singularitate Clericorum asseverat, quod pudicitia sit inuictum munimen sanctimoniæ & expugnatum fortis*

fortis infamiæ; probitatis præsidium & improbitatis excidium, vbertas gloriarum, abolitio scandalorum, honestatis portus, & ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, & spolium probrositatis, claritatis fastigium & dedecoris præcipitium. Nec honorabiliores sunt Ecclesiastici, quam castitatis, &, quæ huius parens est, sobrietatis assidui cultores.

Castitas mẽtis illustratrix.

§. Veluti sol quidam fumosas libidinum nebulas dissipat, & mirificis splendoribus mentem illustrat, vt videat & gustet, quam suauis sit Dominus, & cogitet ea, non quæ mundi sunt, sed quæ Dei, 1. Cor. 7. Decem fuere apud Gentiles Sibyllæ, quæ non minus perspicuè de Christo, eiusq; Ecclesia vaticinatæ sunt, quam sacri Prophetæ, ideoq; S. Paulus, vt est apud Clementem Alexand. l. 6 Strom. suis earum lectiones auditoribus commendabat, quod tanto studio fecere Christiani, vt teste Origine l. 5. contra Celsum Sibyllistæ à Gentilibus appellarentur, quos his ex libris tam dilucide erroris conuincebant, vt conqueratur Justinus Philosophus & Martyr in oratione ad Antonin. Pium mortis supplicium fuisse in eos cõstitutum, qui libros Sibyllinos legerent. *Harum Sibyllarũ insigne virginitas est,* ait *S. Hier. l. 1. aduersus Iouin c. 26. & virginitatis præmium diuinatio. Quod si Aeolici genere sermonis Sibylla* Θεοβυλὴ *(i. e. Dei consilium) appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Ibidem cap. 28. B. Hieronym.* hoc Theophrasti Philosophi tradit documentum: *Sapienti non esse ducẽdam vxorẽ, impediri enim studia Philosophiæ, nec posse quemquã libris pariter & vxori inseruire.* Quod in Pseudoeuangelii buccinatoribus vxoriis meridiana luce clarius est. Sed & Theophrasti magister Aristotel. lib. 7 Ethicorum c. 11. docet, veneream delectationẽ, ita absorbere rationem, vt impossibile sit in ea quicuã intelligere, & q̃ hæc intẽperãtia maxime corrũpat prudẽtiã. Hinc & veteres Musas & virtutes (vt ẽtnũ fit) forma habituq; virginum depingebãt, vt indicarent sine mẽtis,

Nemo libris & liberis operam dari potest.

corpo-

corporisque puritate, sapientiam & virtutem non ni- tineri. Abel & Melchisedech ambo vtriusque Chri sacrificii, illustris figura; ille cruenti, hic incruenti. lias igneo curru raptus in cœlum, 4.Reg.2. Daniel omnes Chaldæos sapientia vicit, & c.9. altissima sterla ab angelo didicit. Paulus *raptus est in Paradisum in tertium cœlum, viditque arcana quæ non licet homini* 2.Corint.12. S. Joan. Apostol. verè Aquila in cœlum vsque subuolauit, & in incomprehensum sanctissimæ Trinitatis lumen oculos contemplationis infixit, maximaque mysteria in sua Apocalypsi doctus est ab angelis. At hi omnes cœlibes & castissimi fuere, vt testatur S.Ignat.epist.ad Philadel. B. Hier. lib.1.in Joan. Epiph.hæres.58. & propter castitatem diuinæ illustrationis capacissimi.

Castitas aliarum virtutum pulcherrimum emblema, & aurea coronis.

§. Est & Castitas non solum ornamentum, sed & cæterarum virtutum, & piarum actionum complementum. Quod in Iuditha satis insinuat Scriptura cap. 16. cum ait, *Erat etiam virtuti castitas coniuncta.* Et S.Hier. l.1.aduersus Jouin. Hoc solum nunc dico, quod quomodo absq; cæteris operib. virginitas sola non salvet, sic omnia opera asq; virginitate, puritate, castitate, continentia imperfecta sunt. Et *B.Greg.hom.13.in Euang.* explanans verba Dom. Lu.12. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris. Duo*, inquit, *sunt, quæ nobentur, & lumbos restringere, & lucernas tenere, vt & munditia castitatis sit in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro, vnum sine alteris placere nequaquam potest; si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is, qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum est opus aliquod sine castitate. Sed & si vtrumque agitur, restat, vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se à vitijs pro mundi huius honestate contineat.*

§.Impe-

§. Impetrat & caſtitas optima quæque & maxima beneficia, eos enim Deus præcipua quadam caritate bonorum omnium effectrice proſequitur, vt qui ſe Deo totos amore dedicant & in ejus obſequium impendunt: *diligit autem diligentes ſe.* Prouerb.8.v.17.nec infinita benignitas, humana ſinit ſe liberalitate ſuperari. Quam Dei erga caſtos munificentiam prędicat ſalomon Sap.3.v.13.14.15. *Felix*, inquit, *eſt ſterilis & coinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Et Spado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deum nequißima: dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptißima. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.* De hoc loco conſulatur Sanctus Hieronymus in cap. 56. Iſaiæ.

Spiritalia & cœleſtia dona exorat caſtitas.

CAP. XXVIII.

EXIMIVM CASTIMONIÆ IN COElis præmium probatur ex Iſaia vatum flore, ex Chriſto noſtro Liberatore, & ex eius amiciſſimo S. Ioanne Apoſtolo.

§. VErum enimuero conſideranti qualia quantaq; præmia in cœlis ferant caſti, faſtidio & horrori erit omnis voluptas carnis. S. Cyprianus tractatu de diſciplina & habitu Virginum. *Si præmium pollicitationis*, inquit, *attendas, minus eſt quod laboras, immortalitas perſeueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Seruate Virgines, ſeruate quod cœpiſtis, ſeruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis.* Et eodem libro: *cum multas habitationes apud patrem ſuum dicat Dominus* Ioannis

Eximium virginitatis præmium.